

Exemplum : Etiamsi in aliqua Missa dicta fuerit Oratio *A cunctis*, vel dicatur Missa, ex. gr., de Spiritu sancto vel de B. Maria V., vel de SS. Apostolis Petro et Paulo, poterunt, juxta Gavantum, dici tamquam Orationes stricte Votivæ, Oratio *pro congregatione et familia* (cfr. Q. 38, n. 8), in qua fit tantum mentio B. Mariae V., Oratio *ad postulandam continentiam* (n. 26), in qua solum nominatur Spiritus sanctus, Oratio *pro constituto in carcere* (n. 32), in qua nominatur tantum S. Petrus. — Accidentaliter enim, et non per modum Commemorationis in his Orationibus mentio fit de B. Maria V., de Spiritu sancto, de S. Petro ; quod si in casibus dictis omittendæ forent istæ Orationes, ait Gavantus, essent frusta positæ in Missali, quod non debet dici.

Decretum 13 Februarii 1892, supra ad exempla sub 1º citatum, non contradicit sententiae Gavanti ; agitur enim ibi de Oratione *pro congregatione et familia* assumenda tamquam Commemoratione communis, tamquam Oratione tertia vi Rubricæ dicenda.

Quidquid sit de hac Gavanti sententia super citatis Orationibus, certo tamen tenendum est, quod non potest admitti pro Oratione Votiva stricte dicta Oratio quæ ad idem Mysterium pertinet, aut ad eosdem Sanctos principaliter seu substantialiter dirigitur, de quibus præcedens Oratio jam dicta fuit, aut memoria facta fuit; ex. gr.. pro stricte Votiva non posset dici Oratio de B. Maria V., aut de S. Joseph, aut de SS. Apostolis Petro et Paulo, in Missa in qua Oratio *A cunctis* diceretur.

ARTICULUS VI

DE ORATIONIBUS QUIBUSDAM DETERMINATIS

§ I. Oratio « A cunctis »

Q. 118. Quæ est Oratio *A cunctis*, et quis est ejus tenor ?

R. Est Oratio inscripta « ad poscenda Suffragia Sanctorum », inter Orationes diversas in sexta parte Missalis ordine secunda (cfr. Q. 38, n. 2), plures per annum dicenda in Missis tamquam Commemoratio communis, correspondens Suffragiis seu Commemorationibus communibus, quæ flunt in Officio divino ad Laudes et ad Vesperas ; de quibus enim Sanctis dicuntur Suffragia, nempe de B. Maria V., de S. Joseph, de SS. Apostolis Petro et Paulo, de Sancto Titulari Ecclesiæ, de eisdem mentio fit in hac Oratione ; et iis anni ecclesiastici temporibus, quibus in Officio divino Suffragia

non dicuntur, iisdem quoque numquam præscribitur hæc Oratio tamquam Commemoratio communis. (Cfr. Q. 81, in tabula Commemorationum communium.)

Tenor hujus Orationis sequens est : *A cunctis nos, quæsumus Domine, mentis et corporis defende periculis : et, intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrix Maria, cum beato Joseph, beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem ; ut, destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eundem Dominum.*

Notandum quod mentio S. Joseph addita fuit huic Orationi inde ab anno 1871 tantum, quando per Apostolicas Litteras 7 Julii ejusdem anni, quæ incipiunt : *Inlytum Patriarcham, Summus Pontifex Pius IX Sanctum Joseph Ecclesiæ Catholicæ Patronum proclamatum, nominare præscripsit per hæc verba : cum beato Joseph.* (Cfr. Litteræ inter Decreta S. Rituum Congregationis, n. 3252, antiq. 5487.) — Ad hoc attendum est, quando Missa legitur in Missali ante annum 1871 impresso, ne ex inadvertentia vel omittatur nomen S. Joseph, vel non suo loco et modo debito dicatur.

Quæ in sequentibus Quæstionibus dicuntur de Oratione *A cunctis*, applicanda quoque sunt Postcommunioni ejusdem Orationis, in qua eadem Sanctorum nomina occurunt.

Q. 119. Cujus Sancti memoria recolenda est ad litteram N. ?

R. In Oratione *A cunctis* ad litteram N. recolitur memoria et exprimitur nomen Sancti Titularis Ecclesiæ, in qua (vel Oratorii publici solemniter benedicti, in quo) Missa celebratur. — Si plures sint Sancti Titulares, omnes nominandi sunt, modo sint æque principales, alias solius principalioris fit mentio.

Nullum aliud nomen Sancti huic Sancti Titularis nomini adjici potest ; neque nomen Patroni civitatis aut loci, neque nomen cappellæ Ecclesiæ, neque nomen Titularis altaris in quo Missa celebratur. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Septembris 1837,

96 (Q. 120) De Oratione « A cunctis »

n. 2769, ad 7, antiq. 4815, ad 10.) Attamen S. Rituum Congregatio declaravit, quod Regulares possunt nominare proprium Sanctum Fundatorem, dummodo non omittant nomen Titularis Ecclesiae. (Decret. 2 Decembris 1891, n. 3758.)

NOTA. Placet referre ea quæ S. Rituum Congregatio de Ecclesiis non consecratis declaravit. (Decret. 28 Novembris 1891, n. 3752, ad 1 et 2.)

Ad dubium : « Num privilegia liturgica Titularum Ecclesiarum, videlicet Officium duplex primæ classis cum Octava, Commemoratio in Suffragiis Sanctorum, et in Oratione *A cunctis*, attribuenda sit Titularibus earum Ecclesiarum, quæ non consecratae sunt, sed tantum solemniter benedictæ ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ; juxta Decreta alias edita. »

Ad dubium : « Num hoc dicendum sit de omni Sacello præcipuo alicujus loci cui adscribitur Missionarius, etiamsi istud Sacellum sit valde pauper, parvum, modo fragili extrectum et ad tempus tantum cultui divino destinatum ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. »

Q. 120. Quid faciendum est, 1º si Ecclesia Titularem habeat Sanctum in hac Oratione jam nominandum ; 2º si dedicata sit alicui Mysterio ; 3º si Missa celebretur in Oratorio privato vel Titulum non habente ?

R. 1º Ubi Ecclesia Titularem habet Sanctum in hac Oratione jam nominandum, nempe vel beatissimam Virginem Mariam, vel sanctum Joseph, vel sanctos Apostolos Petrum et Paulum, non fit iterata ejus nominatio, et omittitur mentio de *beato N.*

Idem dicendum est de Ecclesiis quæ Titularem habent Sanctam Familiam ; jam enim nomina B. Mariæ V., et S. Joseph memorata habentur.

2º Si Ecclesia dedicata est alicui Mysterio, puta SS. Trinitatis, S. Crucis, etc., tunc nominatur Patronus civitatis aut loci.

3º Si Missa celebratur in aliquo sacello et oratorio privato, qua denominatione intelligent auctores in casu quocumque oratorium non solemniter benedictum ; rescriptsit S. Rituum Congregatio, ad litteram N. exprimum esse, — non nomen Titularis Ecclesiae parochialis intra cujus limites situm est oratorium, neque nomen Titularis Ecclesiae cui Sacerdos in oratorio cele-

De Oratione « A cunctis », (Q. 121) 97

brans forsitan adscriptus est, — sed nomen Patroni civitatis aut loci. (Decret. 12 Septembris 1840, n. 2814, ad 1, antiq. 4897, ad 2.)

NOTA. Placet describere sequentem S. Rituum Congregacionis declarationem : Ad dubium : « Quum Ecclesia præfati Seminarii (Racholensis) Titularem habeat S. Ignatium de Loyola, debet ne ejusdem Sancti nomen commemorari in Oratione *A cunctis*, in Missis quæ celebrantur in Oratorio interiori Seminarii, loco nominis Sancti Patroni loci ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « In Oratorio privato Seminarii Racholensis, in Oratione *A cunctis* exprimum est nomen Sancti Titularis Ecclesiae ejusdem Seminarii. » (Decret. 16 Junii 1893, n. 3804, ad 8.) Adeo ut Titularis Ecclesiae quæ domui religiosæ annexa est, sit vel censeatur Titularis etiam Oratorii privati quod in hujusmodi domo existit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 102.)

Q. 121. Quomodo agendum, si in Missa celebrata in honorem Sanctorum qui nominantur in Oratione *A cunctis*, addenda est hæc *Oratio A cunctis* ?

R. Cum de eodem bis facere commemorationem vetitum sit, et non possit simul in eadem Missa dici et *Oratio substantialis* de B. Maria V., aut de S. Joseph, aut de SS. Apostolis Petro et Paulo, aut de S. Titulari, et *Oratio A cunctis* (Cfr. Q. 117), pro diversis casibus agendum erit sequenti modo :

1º Quoad mentionem B. Mariæ V., nulla potest esse difficultas, cum in ejus Missis numquam occurrat dicenda *Oratio A cunctis*. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. IX, n. 15.)

In Missa tamen Votiva *pro sposo et sponsa* quæ celebratur in aliquo Festo duplice B. Mariæ V., quo tempore anni pro tertia Oratione dicenda est *Oratio A cunctis*, hæc juxta quosdam auctores dicitur, sed omissa mentione B. Mariæ V., et solum dicitur : *intercedente beato Joseph, cum beatis etc.* (Cfr. Q. 306.)

2º Si Missa votiva celebratur de S. Joseph, in Oratione *A cunctis* omittitur mentio S. Joseph. Ita notat Rubrica particularis in Missa de S. Joseph, quæ ponitur in Missali inter Missas Votivas per annum pro Feria IV. (Cfr. Q. 41.)

3º Si Missa dicitur de SS. Apostolis Petro et Paulo, pro Oratione *A cunctis* dicitur *Oratio B. Mariæ V.*

98 (Q. 122, 123) De Oratione "A cunctis"

Concede nos famulos. (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 15. Cfr. Q. 117.)

4º Si Missa dicitur de Titulari aut Patrono Ecclesiæ, tunc vel omittitur ejus mentio in Oratione *A cunctis*, vel pro hac Oratione dicitur *Oratio Concede, quæsumus*, quæ prima est inter Orationes diversas in fine Missalis descriptas, et etiam inscribitur « ad poscenda suffragia Sanctorum » (cfr. Q. 38, n. 1); hæc nullum speciale nomen continet. (Decret. S. Rituum Congregationis, 15 Maji 1819, n. 2597, antiq. 4560, ad III. Cfr. Adnotationes super hoc Decreto, in IV Vol. Collectionis, pag. 188, ad III.)

Q. 122. Quare nomina SS. Angelorum, Joannis Baptiste atque Joseph, in hac Oratione præponenda sunt nominibus SS. Apostolorum?

R. Cum inter diversos Sanctos collective enumeratos, semper servandus sit ordo dignitatis, quemadmodum traditur in Litaniis majoribus, ideo observandum erit in Oratione *A cunctis*, quod SS. Angeli, aut S. Joannes Baptista, nominandi tamquam Titulares Ecclesiæ, ponantur ante Sanctum Joseph, sicuti et hic positus habetur ante SS. Apostolos Petrum et Paulum. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Aprilis 1871, n. 3249, antiq. 5484, ad 3.)

Q. 123. Describe tenorem *hujus Orationis, pro singulis casibus in quibus varianda est?*

R. Præ oculis habendæ sunt in singulis casibus regulæ duæ, tum pro omissione nominationis in casu iteratæ mentionis, de qua supra Q. 120 dictum fuit; tum pro ordine diversorum Sanctorum nominum, qui servatur, ut notatum fuit Q. 122, juxta ordinem dignitatis, quo Sancti recensentur in Litaniis majoribus. Itaque pro diversis casibus tenor erit sequens:

1º Si Ecclesiæ Titulares sunt, aut B. V. Maria, aut S. Joseph, aut Sancti Petrus et Paulus, aut S. Petrus, aut S. Paulus, aut Sancta Familia: *A cunctis... genitrice Maria, cum beato Joseph, atque beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, etc.*

2º Si Ecclesia Titulum habet S. Archangelum Michae-

De Oratione « ad libitum » (Q. 124) 99

lem, aut alium Archangelum, Sanctos Angelos, S. Joannem Baptistam: *A cunctis... genitrice Maria, — cum beato Michael, Raphaele, Gabriele, vel cum Beatis Angelis, vel cum beato Joanne Baptista, — beato Joseph, atque beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, etc.*

3º Sit exemplum casus specialis, si Titulares æque principales sunt SS. Joannes Baptista et Joannes Evangelista: *A cunctis... genitrice Maria, cum beato Joanne Baptista, beato Joseph, beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato Joanne, et omnibus Sanctis, etc.*

4º Sit aliud exemplum casus specialis, si Titularis est S. Joseph, et Missa celebratur Votiva de S. Joseph, quo tempore dicenda est in Missa Oratio *A cunctis*. Hoc in casu primo omittenda venit mentio de *beato N.*, cum S. Joseph Titularis jam nominetur in Oratione; sed insuper omitti debet ipsa mentio de *beato Joseph*, cum de Sancto Joseph celebretur Missa et dicatur prima Oratio, et vetitum sit de eodem bis facere commemorationem. (Cfr. Q. 121.) His præmissis, ponitur sequens tenor: *A cunctis... genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis.* (Cfr. Conferentia Ecclesiastica Archidioecesis Mechliniensis, anni 1884, Q. 2 ex Liturgia.)

§ 2. Oratio « ad libitum »

Q. 124. Aliquando tertio loco præscribitur dicenda, tamquam Commemoratio communis, Oratio ad libitum; quare ita vocatur, et quid præcipue quoad illam notandum?

R. I. **Oratio ad libitum**, quæ diversis anni ecclesiastici temporibus præscribitur dicenda tertio loco tamquam Commemoratio communis, nempe a Purificatione B. Mariæ V. usque ad Feriam IV Cinerum, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (cfr. Q. 81, nn. 3º et 9º tabulæ), ita vocatur, non ideo quod pro libitu suo possit Sacerdos illam dicere vel omittere, sed quia penes ipsum est ejus electio.

II. 1º Eligi quidem potest Oratio, vel de Sancto cuius Missa reperitur in Missali, vel de SS. Sacramento (cum restrictione tamen quæ ponitur in Quæstione sequenti), vel de Patrono, de Passione, de Cruce, etc. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Septembri 1841, n. 2365, ad 2, antiq. 4119, ad 6); verbo, quæcumque Oratio Missalis, quæ reperitur inter diversas Orationes

100 (Q. 125) De Oratione « ad libitum »

in fine Missalis descriptas, aut quæ habetur in iis Missis quæ tamquam Votivæ recitari possunt.

2º Eligi non potest Oratio ex iis Missis quæ tamquam Votivæ dici non possunt, quales sunt Orationes de aliqua Dominica, aut Feria, de Beato; Orationes de Nativitate Domini, Epiphania, Paschate, Ascensione, etc.; de Nativitate, Assumptione B. M. V., etc.

Neque eligi potest Oratio seu Collecta pro defunctis (cfr. Q. 130).

3º Cum autem Oratio *ad libitum* sit Commemoratio communis, eligi quoque non poterit talis in qua iterum mentio fieret ejus, de quo jam in præcedentibus facta mentio fuit; ideoque, cum Oratio *A cunctis* semper secundo loco dicenda ponitur quando tertia est ad libitum (Rubricæ generales, Tit. IX, n. 2), pro hac sumi non poterit neque Oratio de B. Maria V., neque de S. Joseph, neque de SS. Apostolis Petro et Paulo, neque de Titulari Ecclesiæ; horum omnium mentio enim jam facta fuit in Oratione *A cunctis*; neque sumi poterit, ut declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 24), Oratio « pro congregazione et familia », quæ reperitur n. 8 inter diversas in sexta parte Missalis (cfr. Q. 38), quia in ipsa mentio fit B. Mariæ Virginis. (Cfr. dicta Q. 117.)

4º Notatur insuper, valde convenire Orationem *pro seipso Sacerdote*, quæ ponitur in fine Missalis inter Orationes diversas; non tamen in Missa solemní in præsentia Prælati, vel Cleri in Choro congregati: potius tunc ea sumatur quæ Superiori vel Communitatí convenit, habita ratione temporum et necessitatuum.

Q. 125. *An, quando tertia Oratio est ad libitum, et dici debet aut Oratio imperata, aut Oratio SS. Sacramenti publice expositi, hæc imperata vel Oratio potest dici tertio loco?*

R. 1º Quoad Orationem imperatam, negative; etenim in casu per modum præcepti et obligationis dicenda est tertiæ Oratio *ad libitum* seu devotionis, tamquam a Rubrica præscripta, et quarto loco dici debet ea quæ ab Episcopo extra ordinem Officii fuit imperata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 17 Augusti 1709, n. 2198, ad 2, antiq. 3814, ad 3.)

De Oratione de B. Maria V. (Q. 126) 101

2º Quoad Orationem SS. Sacramenti publice expositi:

A. In iis Missis in quibus, sicut in Quæstione ponitur, fieri debet Commemoratio SS. Sacramenti (cfr. Q. 93), tamquam Oratio *ad libitum* dici non potest, sed pro Oratione *ad libitum* eligetur alia, et quarto loco adjungetur Oratio SS. Sacramenti.

B. In iis Missis in quibus SS. Sacramenti Commemoratio fieri potest, sed non debet, nihil obstare videatur, ut pro Oratione *ad libitum* tertio loco dicenda, sumatur Oratio SS. Sacramenti; si magis placeat Sacerdoti, aliam Orationem dicere *ad libitum*, profecto dicere aliam poterit; et etiam pro libitu suo, vel quarto loco adjunget Orationem SS. Sacramenti, vel eam omittet, prout Quæstione 93 dispositum fuit.

§ 3. Oratio de B. Maria Virgine.

Q. 126. *Quænam intelligitur Oratio B. Mariæ Virginis, quæ sæpius tamquam Commemoratio communis secundo vel tertio loco dicenda præscribitur?*

R. Intelligitur illa Oratio B. Mariæ V., quæ tamquam Commemoratio communis præscripta, secundum tempus anni ecclesiastici sumitur ex una de Missis Votivis B. Mariæ V., quæ describuntur in quinta Missalis parte (cfr. Q. 37.).

1º A Dominica I Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis exclusive (cfr. Q. 81, n. 1 Tabulæ), dicitur Oratio: *Deus, qui de Beatae, etc.*, ex prima Missa Votiva B. Mariæ V., assignata pro Adventu (cfr. Q. 37, n. 8).

2º A Nativitate Domini usque ad Purificationem (Q. 81, n. 2), dicitur Oratio: *Deus, qui salutis aeternæ, etc.*, ex secunda Missa Votiva B. Mariæ V., a Nativitate Domini usque ad Purificationem (Q. 37, n. 9).

3º Ab Octava Paschatis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive (Q. 81, n. 7), dicitur Oratio: *Concede nos famulos etc.*, ex quarta Missa Votiva B. Mariæ V., a Pasccha usque ad Pentecosten (Q. 37, n. 11).

4º Infra Octavas SS. Corporis Christi, et Sanctorum præter B. Mariam V. (Q. 81, n. 11), dicitur Oratio: *Concede nos famulos etc.*, ex quarta vel quinta Missa Votiva B. Mariæ V., quarum Orationes sunt eadem (Q. 37, nn. 11, 12).

NOTA. In Kalendaris seu Directoriis, pro casibus qui sub 3º et 4º describuntur, non raro indicatur vel secunda vel tertia Oratio *Concede*; animadvertisendum est eam esse Orationem de B. Maria V. supra indicatam, non autem Orationem *Concede*, ad poscenda suffragia Sanctorum, quæ inter Orationes diversas primo loco (cfr. Q. 38.) ponitur.

§ 4. Oratio « Ecclesiæ » vel pro Papa

Q. 127. Quænam notari possunt quoad Commemorationes communes « Ecclesiæ » vel pro Papa?

R. Per varia anni ecclesiastici tempora, et infra Octavas, pro Commemoratione communi præscribitur, secundo vel tertio loco, Oratio *Ecclesiæ*, quæ habetur inter Orationes Votivas in sexta parte Missalis sub titulo: *Contra persecutores Ecclesiæ* (cfr. Q. 38, n. 11); sed liberum relinquitur Celebranti ejus loco dicere Orationem pro Papa (n. 4).

1º Plena libertas datur alterutram Orationem dicendi, et nullibi in Missali indicatur aliqua convenientia ratio alternis vicibus has Orationes dicendi: editiones typicæ Missalis enim eodem semper ordine utramque assignant.

2º Vacante Sede Pontificia, necessario sola singulis vicibus dicitur Oratio *Ecclesiæ*, et non licet loco Orationis pro Papa dicere Orationem pro Summo Pontifice eligendo (Q. 37, in altera serie Missarum, n. 1).

3º Si forte, quando a Rubricis alterutra præscribitur una ex eis imperata simul est ab Episcopo, tunc nulla amplius relinquitur libertas, neque pro Orationis electione, neque pro ordine; sed, quæ non imperata est dicitur semper prior, tamquam Commemoratio communis, ut ita satisfiat præcepto Rubricæ; quæ vero imperata est, semper dicitur, tamquam imperata, post Commemorationes communes, ut ea satisfiat præcepto Episcopi; et nullo modo per solam imperatam satis fieri posset dupli præcepto Rubricæ et Episcopi. Itaque in casu semper dicenda est utraque, et quidem eo ordine, ut Oratio imperata semper ultimo loco dicatur.

Hanc regulam confirmavit S. Rituum Congregatio

sequenti Decreto: Ad dubium: « Utrum circa Orationes pro Ecclesia et pro Papa id retinendum sit, ut, si altera vi Rubricæ, altera ex præcepto Ordinarii præscribatur, utraque, prout de more, in Missa dici debat? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Affirmative. » (Decret. 24 Maii 1901, ad 1 Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 399.)

NOTA. De plerisque Commemorationibus communibus quæ recensentur Q. 81, jam dictum fuit in hoc Articulo; remanent ex eis duæ, de quibus sufficiet indicare ubi in Missali reperi possunt: una, Oratio *de Spiritu sancto*, est Oratio Missæ Votivæ de Spiritu sancto: *Deus, qui corda fidelium, etc.*, quæ in quinta Missalis parte inter Missas Votivas ponitur (cfr. Q. 37, n. 4); altera: *Omnipotens semperne Deus, etc.*, inscripta « Pro vivis et defunctis », est ultima inter Orationes diversas, quæ habentur in sexta Missalis parte (cfr. Q. 38, n. 35); dicitur hæc tamquam Commemoratio communis infra Quadragesimam, et ordinarie describitur in quibusdam Missis hujus temporis anni ecclesiastici.

§ 5. Orationes « Fidelium » et aliæ pro Defunctis

Q. 128. Quandonam in Missis quæ non sunt de Requiem addi debet Oratio pro Defunctis « Fidelium » tamquam Commemoratio?

R. Juxta Rubricam generalem Missalis (Tit V, n. 1 et 2), a) prima die cuiusque mensis, extra Adventum, Quadragesimam et Tempus Paschale; b) et insuper singulis Feriis secundis per annum, extra Quadragesimam et Tempus Paschale (animadvertisetur diversitas præscriptionis pro Adventu); — quando his temporibus anni Officium non est duplex vel semiduplex, (igitur in Missis propriis de Feria, vel de Vigilia communis, vel de Festo simplici, vel quando resumitur in hebdomada Missa Dominicæ præcedentis); — in omni Missa de die addi debet Oratio *Fidelium*, pro Fidelibus defunctis.

Si, extra Adventum, Quadragesimam et Tempus Paschale, prima dies libera pro dicenda Oratione est Feria secunda, satis fit hac die utriusque præcepto, tum primæ